



Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

Articulus IV. Quænam sit coordinatio actuum humanorum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

instinctus DEI (ita appellat S. D. motionem divinam) supplet influxum, quo voluntas seipsam applicat ad operandum: sed ille influxus non est tantum moralis, sed physicus: ergo etiam illa prima motio & influxus DEI. Tertio: quia præmotio, quæ DEUS cetera causa prima causas secundas ad operandum determinat, est physica: sed ista DEI motio est talis præmotio: ergo.

Sequitur secundò: DEUM ad primam volitionem non tantum concurrere concursu generali, sed etiam speciali: quia tunc est concursus specialis, quando in nullam aliam causam motentem & applicantem effectus reducitur: sed prima volitio non potest reduci in aliam causam quam DEUM: ergo DEUS specialiter causat primam motionem voluntatis. Unde

Sequitur tertio. Primum actum voluntatis semper esse bonum: quia DEUS non potest esse specialis auctor actus mali, prout supra in tract. de ang. fuit dictum. Nec obest, quòd homo in primo instanti usus rationis aliquando peccet, non enim peccat in primo instanti initiato usus

rationis, sed completivo. Ut ibidem explicui.

Sequitur quartò. Illam DEI motionem nullam inferre necessitatem; quia, ut inquit S. D. q. 10. a. 4. ad 1. *voluntas divina non tantum se extendit, ut aliquid fiat per rem, quam movet, sed ut etiam eo modo fiat, quo congruit nature ipsius.*

Sequitur quintò. Illam primam volitionem, ad quam DEUS specialiter movet, esse de bono ut sic: prout docet S. D. q. 9. a. 6. ad 3. *DEUS, inquit, movet voluntatem hominis, sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum: & sine hac generali motione homo non potest aliquid velle &c.*

Dices: Si DEUS movet ut motor universalis, ergo non ut causa specialis. Resp. DEUS ad mentem S. Doctoris movet ut motor universalis, universalitate sui, qui nempe est amor boni in communi & universaliter sumpti communis omnibus hominibus, concedo; universalitate causalitatis, prout motor universalis denotatur à concursu cum omni physica causalitate causæ secundæ, sic nego.

ARTICULUS IV.

Quenam sit coordinatio actuum humanorum?

SUMMARIUM.

1. Tres actus voluntatis circa finem.
2. Tandem circa media ad finem.
3. Simplex complacentia.
4. Efficax intentio.
5. Consilium.
6. Consensus.
7. Electio.
8. Imperium practicum intellectus.
9. Usus.
10. Fructio.
11. In brutis nulla inventio & consilium.
12. De speculabilibus non est consilium.
13. Neque de certis.
14. In DEO consilium datur tantum quoad sententiam de agendis.
15. Angelis convenit consilium quoad inquisitionem in supernaturalibus.
16. Eodem actu possunt attingi finis & media.

§. I.

Oeconomia humanorum actuum.

Voluntatis actus, diversis actibus intellectus intermixti, alii sunt circa finem, alii sunt circa media ad finem. Tres sunt circa finem, videlicet *simplex volitio, intentio, fructio*; quia tot diversis modis voluntati finis objici potest. Nam primò finis vel præcisè ratione bonitatis cognita movet voluntatem, & sic terminat simplicem volitionem: quia simpliciter actus potentia est in id, quod est secundum se objectum potentia: hoc autem est bonum propter se volitum. Secundò finis objici potest voluntati sub formali ratione finis, prout est ratio volendi media; sicque terminat intentionem. Tertio potest esse objectum voluntatis tanquam obtentus & præteritus, quo modo terminat actum delectationis & gaudii, qui, si sit de fine perfecto & ultimo, propriè vocatur fructio.

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

Tres sunt pariter actus voluntatis circa media ad finem: *consensus, electio, & usus*. Vel enim voluntas in intentione amplectitur media per intellectum proposita simpliciter & absolute absque comparatione vel assumptione unius mediæ præ alio: vel amplectitur cum tali comparatione & assumptione. Si primum, dicitur consensus; si secundum, dicitur propriè electio: vel tandem impellit & applicat in executione potentia sibi subditas ad ponenda media: & hæc applicatio dicitur usus.

Ut porro perspicitur meliùs natura istorum actuum, & ordo, quem in iis voluntas tenet, primam finis cognitionem sequitur *simplex volitio*, quæ sæpe voluntas, & simplex complacentia vocatur; actus inefficax, quo *virtus & in haste probatur; pietas laudatur, & alget*: ipsique improbi virtutis pulchritudinem demirantur, nec tamen ad illam prosequendam efficaciter permoventur. Rectè describitur: Actus complacentiæ, quo voluntas amat finem secundum se, sine ordine ad media.

Secundò: Repræsentationem cum ordine ad media consequitur *efficax intentio finis*, quæ est actus voluntatis tendens in finem, ut est ratio volendi media, seu quatenus est æquebilis per illa. Unde in intentione finis ipsa quoque media virtualiter appetuntur. Et quanquam SS. PP. in modo loquendi videntur aliquando intentionem actibus intellectus annumerare, uti cum Bernardus inquit, *affectio in voluntate, intentio in ratione consistit*, hoc tamen non est intelligendum subjective, sed præsuppositivè, quia intentio actum intellectus præsupponit; vel aliquando metaphorice, quòd, sicut attentio rationis dirigit operationes, ita intentio voluntatis bonitatem, aut malitiam deriver in humanas actiones.

Intentio prædicta determinat rationem ad consilium.

sultandum de mediis, unde sequitur consilium, quod est discursus rationis practicae inquirentis media ad obtinendum finem, ac de eorum convenientia iudicantis. Unde consilium completum & perfectum non tantum inquisitionem, sed etiam iudicium & sententiam de agendis complectitur. ideo sicut ad discursum speculativum concurrat duplex virtus intellectualis, scilicet intelligentia quoad principia, & scientia quoad conclusionem; sic ad practicum discursum & consultationem concurrunt duae virtutes, eubulia, quae ad bene consiliandum & inquirendum de mediis conducit; deinde synesis, seu gnomo, quae de mediis convenientia fert sententiam.

6. **CONSILIO** succedit consensus approbans media, eaq; acceptans tanquam conducentia ad finem praeventum. Porro consensus late potest & stricte accipi. Si late accipitur, significat quemcunque actum voluntatis, quo objectum a voluntate propositum liberè acceptatur; unde in hoc sensu consensus etiam haberi potest circa finem bonum vel malum, & absque hoc consensu nunquam peccatur. Stricte hoc loco accipitur, pro acceptatione mediavorum, quae intellectus per consultationem praeviam amplectenda proposuit, & describitur à S. D. q. 15. a. 3. Applicatio appetitui motus ad determinationem consilii h. e. actus voluntatis, quo acceptantur media ab intellectu consiliata.

7. Possunt autem per consultationem media triplici modo amplectenda proponi: primò ut unicum medium; vel secundò simul plura media sine comparatione; tertio ut cum comparatione ad unicum represententur, & feratur sententia, quodnam ex illis sit conducentius ad finem: si primo & secundo modo, tunc propriè est contentus; si tertio modo, qui priorem consequitur, tunc propriè est electio, quae rectè definitur, affectus rationalis, quo voluntas unum medium praeter alio acceptat in ordine ad finem: ubi indicatur primò, quod electio sit actus elicitus voluntatis, quippe quae sit motus voluntatis in bonum, in quo maximè resplendet libertas actualis, & ratione cuius dantur in voluntate habitus electivi: & secundò, quòd sit circa media, quia sequitur consultationem de mediis. Tertio, quòd sit acceptatio unius medii praeter altero, in quo discernitur à consensu, qui simpliciter acceptat media, nec specialem comparationem rationis inter media connotat. Ex quo etiam facile inferes, nec consensum; nec electionem reperiri in brutis, quippe quae consilio, & mediis quae talium cognitione sunt destituta. Et istis quidem actibus ordo intentionis absolvitur.

8. Sequitur ordo executionis, in quo efficax electio unius, vel plurium mediis applicat intellectum ad actum imperii, quo intimatur executio mediis, vocaturque imperium monasticum; quod ad mentem S. D. rectè definitur, quòd sit praeceptiva intimatio cum motione quadam, alicujus operis faciendi. Ubi indicatur primò, quòd actus imperii pertineat ad intellectum; secundò, quòd distinguatur ab actu iudicii, quia non intimat objectum voluntati per modum consilii, aut sententiae; sed per modum praecepti, estque actus intellectus practici per verba imperativi modi, fac hoc, exprimi solitus.

Tertio, quòd sit efficax ad movendam voluntatem efficaciam derivatam & participatam ab actu electionis praesupposito. Unde non sufficit ad operationem recta inquisitio & iudicium intellectus, dicente illo: *video meliora, probūq; Deverius, ignosce*. sed, cum nova plerumque in executione difficultas opponat, opus est speciali actu intellectus, qui executionem imperet, & voluntatem ad usum determet.

Est igitur usus actum imperii subsequens, de genere usus activi non passivi, actus, quo voluntas applicat, & movet subjectas potentias ad executionem mediis. Ubi primò intelligitur usum pertinere ad voluntatem, quippe cuius subjectas potentias movere quoad executionem in ordine ad affectationem sui finis. Intelligitur etiam, distingui à consensu & electione, qui isti actus respiciunt media, prout luntia in electione, junguntque voluntatem cum objectum affectivè habito: usus verò respicit media prout sunt in executione, jungitque voluntatem cum volito in esse reali.

Tandem ordinem executionis claudit fruitio, quae est voluntatis quies in fine obtento, estque suavi delectationis experimento in quovis fine obtento sumatur, veluti Sap. 2. *Venite, fruamur bonis*. Rom. 5. *Si vobis primum ex parte fuerit suero*. accipitur latiori sensu: si verò iuratur pro gaudio & quiete in ultimo fine possessum propriè fruitio dicitur. De qua supra de gaudio & fruitioe Beatorum, in disp. de Beatorum, aliqua diximus.

§. II. Corollaria.

Colliges primò. In brutis non esse intentionem, neque consilium; quia in ipsis nec est formalis cognitio finis, neque inquisitio, nec cognitio de convenientia mediis cum fine.

Colliges secundò. Quamvis de speculabilibus detur inquisitio, non tamen dari consilium; quia consilium ex nominis impositione & moralium Philosophorum placito non est nisi de agendis. De credendis tamen potest esse consilium, quia fides piam motionem voluntatis includit, nec est solum speculativa, sed practica.

Colliges tertio. Consilium non esse nisi de clavis, cum de iis, quae certa ac determinata sunt, vana sit quaestio.

Colliges quarto. In DEO non esse consilium, quoad inquisitionem, sed solummodò quoad certissimum iudicium & sententiam de agendis, quo sensu dicitur *omnia operari secundum consilium voluntatis suae*. Eph. 1. Et S. D. 1. p. 1. a. 1. ad 1. *Ipsa ratio rerum agendarum cognoscitur in DEO dicitur, non propter inquisitionem, sed propter certitudinem cognitionis, ad quam consilium inquirendo devenirent.*

Colliges quinto. Angelis convenire consilium etiam quoad inquisitionem [tamen absque de seorsu] in supernaturalibus, quorum non habent plenam notitiam, ut insinuat li. 6. & Plal 23. *Quis est qui venit de Edom? Quis iste Rex gloria?*

Colliges sexto. Fieri posse, ut uno realiter actu voluntas tendat in finem & in mediis, quoad

do nimirum vel in finem directè & in media indirectè, vel directè in media & indirectè fertur in finem, prout indicat S. D. q. 8. a. 3. *Finis, inquit, ut est ratio volendi medium, eodem actu appetitur quo medium.* Et ratio est: quòd cum plura objecta ad invicem subordinantur, & unum est ratio attingendi alterum, ibi potentia potest utrumque objectum uno eodemque actu attingere; unum quidem ut quòd, alterum verò ut quò; unum directè, & alterum indirectè: ergo potest voluntas uno eodemque actu finem dire-

ctè, & media indirectè attingere. Maj. constat inductione: nam visus eodem aspectu colorem percipit & lucem, & intellectus in principio conclusiones intelligit. Dixi posse uno actu attingi finem & media, ita ut unum directè, alterum indirectè attingatur. Nam si utrumque directè & ut quòd attingitur, necesse est ut actus intentionis & electionis sint distincti; siquidem unus actus non potest habere duo adæquata objecta specificativa.

ARTICULUS V.

An voluntas possit eligere æquale, vel minus bonum?

SUMMARI A.

1. Status questionis.
2. Resolutio negativa.
3. Fundamentum petitur ex natura voluntatis tanquam potentia cæca.
4. Non ideo tollitur libertas electiva voluntatis.
5. Nec rectè inferitur suppositio simpliciter antecedens.
6. Ipsum judicium practicum pender à libera applicatione & intentione voluntatis.
7. Absurda objectio removetur.
8. An Divina voluntas eligat media minus bona?

§. I.

Resolutio negativa.

1. Contingere potest primò, ut intellectus voluntari duo media repræsentet quasi in æquilibrio appensa, ut ex neutra parte appareat major ratio boni vel mali, neque in ultimato practica rationis judicio majorem bonitatem unam quam alteri parti adjudicet: quo casu dubitatur, an possit voluntas suâ, quâ pollet, libertate, alterutrum ex duobus in practica rationis æquali bilance appensis & repræsentatis bonis pro libitu eligere? Secundò frequenter & ferè semper contingit, ut inter duo media unum appareat majoris, alterum levioris ponderis & bonitatis in ordine ad consequendum finem; ubi rursus dubitatur, an ista sit libera voluntatis potentia, ut relicto meliori, minus bonum possit amplecti? Affirmativam tuentur Richardus in 2. dist. 38. a. 2. Suarez in metaph. disp. 19. sect. 6. quem sequuntur Amicus, Salus, Ylambertus hic disp. 9. a. 1. Negativam Capreolus in 1. dist. 25. a. 3. Cajetanus, Vasq. & cum Jo. à S. Th. communiter Thomistæ.

2. CONCLUSIO. *Voluntas non potest ex duobus æqualibus mediis alterutrum aut ex inæqualibus minus bonum eligere.* Ita communius Thomistæ. Et colligitur è S. D. q. 13. a. 6. ad 3. ubi dicit: *Nihil prohibet, si aliqua duo æqualia proponantur secundam unam considerationem, quin circa alterum consideretur aliqua conditio, per quam emineat, & magis selectatur voluntas in ipsum, quam in aliud.* Ubi aperte concedit & supponit S. D. voluntatem selecti propter eminentiam unius boni præ alio, ita ut possit æqualitate bonorum intel-

lectus in uno inveniat aliquam considerationem & circumstantiam, ratione cujus voluntas magis in hoc, quam in aliud propendeat.

Ratio utriusque est. Voluntas tanquam cæca potentia nihil potest eligere, priusquam illud ab intellectu judicetur eligendum: neque potest respicere objectum, quòd intellectus præviè non dicitur esse respicendum: sed stante judicio practico æquilibrii inter duo bona neutrum proponitur & practice judicatur ut eligendum, vel respicendum: stante quoque judicio practico majoris bonitatis & convenientiæ in uno, quam altero bono, minus bonum practice non judicatur respicendum: ergo voluntas in priori casu neutrum, in posteriori minus bonum non potest amplecti.

Confirmatur quoad 1. partem primò. A causa indifferente quâ tali non procedit determinatus effectus: sed voluntas inter media æqualiter repræsentata est indifferens; quia suspensa inter utramque partem: ergo ut sic ab ipsa non procedit determinata electio.

Confirmatur secundò. Voluntas non potest absolute velle, nisi proponatur ab intellectu ut absolute bonum: ergo etiam voluntas nil potest magis velle, nisi proponatur ab intellectu ut magis bonum. Sed hoc non fit, cum duo bona vel media æqualiter repræsentantur: ergo.

Confirmatur specialiter quoad secundam partem primò. Si voluntas eligeret minus bonum relicto majori, vel eligeret quia in ipso invenit rationem boni, vel quia invenit rationem mali. Non hoc posterius: quia malum non est objectum prosecutionis, sed averisionis. Non etiam prius: quia in majori bono minor est ratio averisionis, & major prosecutionis.

Confirmatur secundò. Sequeretur ex Adversariorum doctrinâ, quòd prava electio in voluntate posset consistere cum recto judicio practico in intellectu: sed hoc est contra communem præsertim Thomistarum asserentium, voluntatem nunquam peccare, nisi practicus error in voluntate præcellerit: ergo. Sequela patet: quia non obstante, quòd ratio diceret v. g. furtum esse medium minus bonum pro sustentatione, tamen posset voluntas amplecti & eligere furtum pro fine sustentandæ vitæ.